

“si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus et privilegiis; cum etsi illis ca-
“reat, ex legitimis germanisque aliorum pontificum epistolis decretalibus satis su-
“perque corroborata consistat (1).”

Plurima exstant in veterum monumentis apocrypha, et spurea; id concedimus
Ecclesiae et religionis hostibus (supra § III n. 3). Sancta Dei Ecclesia omnes ejus-
modi imposturas et fraudes vehementer improbat atque aded exsecratur, et auc-
tores earundem gravissimè punit; id ostendimus, atque aded contendimus modis
omnibus (Ibid. § V). Quid ergo? Qui Ecclesiae Dei filii sunt, ejusque causam
agere contra innumerabiles adversarios satagunt, ob eam causam omnia antiqua
monumenta, quae falsa sunt, aut falsi suspicionem movent, rejicere debent pe-
nitè? Haud sanè: nam hoc ipsum est, quod Ecclesiae adversarii maximè quaerunt,
et intemperantis critices studiò obtinere audent. Res tota certis thesibus
constringenda et explicanda est.

“Ecclesiae hostes omnia antiquitatis monumenta, quibus apostolica fides,
“traditio, et disciplina ecclesiastica confirmari et illustrari solet, tanquam apocry-
“pha aut suspecta criminari et explodere conantur.” Id ipsi profitentur verbis,
et immoderato critices usu manifestant factis; imò simulata pietatis specie lau-
dant et admirantur Dei providentiam, quae curavit ut ab Apostolorum discipulis
virisque apostolorum saeculo proximis aut nihil scriberetur, aut nihil conservaretur,
integrum saltem, quod a blattis ac tinceis mutilatum non esset, aut de quo du-
bitari jure non queat. Cur ita verò? *Ut soli Scripturae tantò evidentius sua
constaret auctoritas;* ut ipsa scilicet Scriptura, traditionis adminiculo destituta,
vocari in dubium, ejusque libri pro arbitrio sectariorum rejici possent. Multò jus-
tius sanctiusque viri catholici graves et docti singularem adorant, praedicantque
divinam providentiam, quae curavit, ut a discipulis apostolorum, virisque apostoli-
cis et apostolorum saeculo proximis plura et scriberentur, et conservarentur ad
hanc diem integra, atque extra dubitationem posita, ut sanctis Scripturis earum-
que genuinae interpretationi sua constaret auctoritas eorumque ope fidei ac disci-
pline apostolicae traditio contra novatores vindicaretur (2).

§ VI.

NON OMNIA TAMEN QUAE FALSA SUNT AUT FALSI SUSPICIONEM HABENT
REJICI DEBENT.

“Si qua veterum monumenta interpolata videntur, aut falsis inscriptionibus
“insignita, non continuò doctrina, his contenta, mala est et perniciosa neque narra-
“tio falsa, praesertim si consentiat cum doctrina aut narratione in legitimis monu-
“mentis consignata, aut cum usu et sensu Ecclesiae.” Quia praesumi non potest,
quod omnis interpretatio, depravatio, aut falsorum inscriptio nominum praecise er-
roris et mendacii divulgandi causa facta fuerit: imò si ex ea causa facta est cor-
ruptio, id tantum ex ea parte accidere potuit, quae errantium opiniones attingebat;
quae verò nihil ad eos pertinebant, integra manserunt; atque id citò deprehendi-
tur. Hinc ex certis etiam haereticorum libris factisque argumenta veritatis com-
probandae repeti justè posse, exemplis docui (Vide Art. VI, § VII, n. V. hor. proleg.)
Cur igitur, si homines mali, aut imprudentes veterum auctorum libris vuculas quas-
dam injecerunt, per quas opinionis suae pravitatem defenderent, protinè integros

(1) Baron. ad a. 530, n. 5, ad an. 536, n. 60, ad an. 665, n. 8.

(2) Conf. V, c. Gottfridi Lumper historia theologico critica p. I, sect. I, c. II.

amittamus et abjiciamus auctores? Num minima cicatrix totum obscurabit cor-
pus? Aut quia naevum in corpore non probamus, egregiam atque omnibus nume-
ris absolutam speciem contemnemus? Canon. 45 et 46 inter apostolicos, uti hi
exstant in corpore Juris canonici, rebaptizantium errorem non obscurè praese fert;
canon 65 jejunium sabbathi, praeterquam sancti, improbat, ac punit; canon 65 de
baptizatis et ordinatis ab haereticis affirmat: *Hi neque fideles, neque clerici esse
possunt;* et in canone 84 plures cubant mendaci. Atqui his non obstantibus praes-
tantissimi quique auctores saepe laudant apostolorum canones, et sententias suas
iisdem confirmant, cum veterem praese ferant Ecclesiae disciplinam. Ecclesia re-
jecit nonnulla inter apocrypha, *ne vel levis subsannandi oriretur occasio,* ut dicitur
in decr. Gelas. § 17. Sed ibidem § 19, additur: “Actus B. Sylvestri aposto-
“licae sedis praesulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoremus, a multis tamen in
“urbe Roma catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multae hoc imitantur
“ecclesiae. Item scripta de inventione S. crucis dominicae, et alia scripta de in-
“ventione capitis B. Joannis Baptistae, novellae quidem relationes sunt et nonnulli
“eas catholici legunt. Sed cum haec ad catholicorum manus pervenerint, B. Pau-
“li apostoli sententia praecedat: Omnia probate: quod bonum est, tenete.” Simi-
liter ferè disserit S. Hieronymus in epist. ad Laetam: “Caveat omnia apocrypha.
“Et si quandò ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam (1)
“legere voluerit, sciat non eorum esse, quorum titulis praenotantur, multaque his
“admixta vitiosa, et grandis esse prudentiae aurum in luto quaerere.”

“Sacrosancta Christi Ecclesia quemadmodum falsis haereticorum, vel schis-
“maticorum disputationibus aut vi aperta vinci non potuit, nec poterit unquam;
“ita nec oculis eorum fraudibus, simulata pietatis specie vel libris apocryphis
“aut spuriis in errorem aut pravam disciplinam induci potest.” Fraus enim pe-
rindè ac vis aperta daemonum arma sunt, quae ex Christi promisso contra Eccle-
siam supra petram aedificatam non praevalebunt. In synodo nicæna II, anni 787,
quae de cultu SS. imaginum agebat, sess. IV, lecta est spuria dissertatio S. Atha-
nasio falsè attributa. In concilio lateranensi, S. Martini papae, an. 649, sess. 3,
lecta fuit epistola S. Dionysii de operatione theandrica. Eadem Dionysii aucto-
ritas (dubiae sanè fidei) etiam prolata fuit in concilio constantinopolitano III, an.
680, sess. 2. In concilio ephesino, Act. 1, lecta fuit epistola Julio P. attributa, et
a catholicis pro vera habita; quae tamen occulta continebat appollinariani erroris
semina, ut ostendit P. Constant, in appendice p. 17. Quid verò haec omnia sancti-
tati Ecclesiae obfuerunt, quae divino numine regitur, et ipsa auctoritatem dat
libris, non ab illis accipit? Symbolum apostolorum et Athanasii ab universa te-
netur Ecclesia: quae item auctoritatibus S. Coelestini de gratia adhæret; et tamen
de auctoribus symbolorum, eorumque auctoritate disceptant docti. *Omnia nostra*

(1) Id ego sic intelligo: Si quis apocrypha legere voluerit, eo quod prodigiis, et insolitis mi-
raculis, quibus eadem ferè abundant, multum afficiatur, Deumque timere et glorificare discat.
Matth. IX, 8. Ejusmodi prodigium ex apocryphis manichaeorum recenset S. Augustinus l. 22,
contra Faustum c. 79, qui idem de apocryphis magna moderatione disserit locis pluribus, ceu
l. 15, c. 73, de civitate Dei: In his apocryphis, inquit, etsi invenitur aliqua veritas, tamen
propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. Et ibid. l. 18, c. 38. De apocryphis, ut in
auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta,
ne proferrentur falsa pro veris. “Non quasi sola obsesset antiquitas, sed talis nempe cui deest
traditio.” Hinc priore loco cit. de apocryphis scripturis ait. Earum occulta origo non claruit
patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima et notissima suc-
cessionem pervenit.

facimus, ait imperator Justinianus, quibus nostram auctoritatem impertimur (Fleur. I, 44, § 34); sic Ecclesia suam facit doctrinam, quam probat; quicumque is fuerit, qui eam certis verbis sententiisque primò conceperit. Nihil ergo per se obest, quod apocrypha citentur aliquando, quandò eadem cum sana doctrina consentiunt, imò etiam antiquitatem doctrinæ ritusve probant. Huc referenda est memorabilis decretalis Innocentii P. III. "Auctoritate præsentium duximus statuendum, ut cum aliqua decretalis, de qua iudex meritò dubitet, allegatur si eadem juri communi sit consona, secundum eam non metuat judicare, cum non tam ipsius quam juris communis auctoritate procedere videatur. Verum si juri communi sit dissona, secundum ipsam non judicet, sed superiore consulat super ea (1)."

"Quando in judiciis Ecclesiæ producuntur apocrypha, depravata, falsis nominibus inscripta, quorum doctrina vel narratio a mente et sensu Ecclesiæ abhorret, tunc utique authenticam eorumdem accuratè examinari solet: idem fit, quando sententia, inter litigantes ferenda, a veritate et fide instrumenti producti pendet." Exemplum exstat in sess. III, concilii generalis VI, an 680, in qua præsentem etiam imperatore Constantino Pogonato, productus et legi cæptus est liber, qui ita continebat: "Sermo sanctæ memoriæ Mennæ Archiepiscopi constantinopolitani ad Vigilium beatissimum Papam romanum de eo, quod una sit Christi voluntas. Et exsurgentes legati apostolicæ sedis Romæ exclamaverunt: Piissime Domine, falsatus est præsens liber quintæ synodi.—Non est tunc temporis positus in exordio, cum fierent acta in sancta quinta synodo, iste qui dicitur sermo Mennæ ad Vigilium; sed nuper appositus est in principiis præsentis libri, eo quod vigesimo primo anno Justiniani divinæ memoriæ obiit Mennas; quinta autem synodus vigesimo septimo anno imperii ejus congregata est, episcopatum tenente hujus regiæ urbis Eutychiæ venerabilis memoriæ." Rejecto supposito hoc scripto, cum ex quinta synodo legeretur actio septima, in ea reperti sunt duo libri quasi ex nomine Vigilii P. scripti, unus ad Justinianum imp., alter ad Theodoram Augustam; "in quibus continebatur ita: Anathematizamus autem et Theodorum, qui fuit Episcopus Mopsuestiæ,—qui non confitetur Christum esse unam substantiam, et unam personam, et unam operationem. Et exsurgentes iterum legati apostolicæ sedis antiquæ Romæ, unaque qui cum eis erant, Deo amabiles viri exclamaverunt dicentes: "Non faciat Deus, Domine, non dixit Vigilium unam operationem; non sunt libelli Vigilii. Falsatus est hic liber, sicut et exordium primi libri præsentis quintæ synodi." Similiter in sessione IX detecta est depravatio textuum, quos ex patribus collegerat Macarius Antiochenus in errore monothelitarum persistens. In sess. XIV ab omnibus concilii patribus dictum est anathema in eos qui acta concilii V corruperant, et in eos omnes qui unam voluntatem, et operationem unam et unicam in Christo docuerant. Non ergo iis etiam temporibus, quibus maximè ignorari ars critica videbatur, aut diligentia inquirendi in fraudes, aut felicitas eas detegendi defuit Ecclesiæ, quando ad conservandam fidei integritatem id opus fuerat. In privatis autem litigantium causis de fide et veritate instrumentorum maxima semper cura fuit habita, ita ut Gregorius magnus aliquando rescripserit: "Si Scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus (c. 1 de fid. inst.)." Docet id totus titulus de fide instrumentorum. Extra casus hic indicatos, si in actis ecclesiasticis vel canonicis Ecclesiæ scripta apocrypha aliquando allegentur,

(1) C. Pastoralis. 8. De fide instrumentorum.

id indicio est, doctrinam iis contentam cum doctrina et mente Ecclesiæ consentire; factis merè humanis, eorumque historica veritate per se non nititur doctrina fidei et morum, aut sanctitas generalis disciplinæ. Quando nova emergunt scripta quorumcumque auctorum, genuina aut spuria, Ecclesia non ex hisce scriptis de fide sua judicat, sed ex fide et doctrina sua de scriptis. Ipsa venerabilium patrum opera ab Ecclesia præcedentium temporum auctoritatem habent, et pro utilitate posterorum generalem naeta sunt approbationem.

§ VII.

CRITICÆ REGULE DE MONUMENTORUM RECTA INTERPRETATIONE.

Explorata authenticam monumentorum, de qua adhuc egi, curandum est, ut recta eisdem interpretatio adhibeatur. Regula est hæc: "Verba et nomina veterum scriptorum sunt eo in sensu intelligenda, qui tempore, quo documenta sunt confecta, communiter obtinuit." Multa in jure nostro occurrunt vocabula tum obsoleta, tum quæ vigent nunc etiam, sed alio nunc significato, ac olim. *Altare* sæpè reditus Ecclesiæ denotat; *advocatio* vel *advocaticum* reditus advocatiæ; *beneficium* indicat feudum ab Ecclesia obtentum: quo modo sumitur, c. 1, de ecclesiis ædificand. vel rep., nec tamen hæc significatio est constans. Scripsit Hadrianus P. IV ad Fridericum I imperatorem his verbis de Ecclesia romana: "Debes enim, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit et honoris, et qualiter imperialis insigne coronæ libentissimè conferens, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confovere. Neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus implevisse; sed si *majora beneficia* excellentia de manu nostra suscepisset, si fieri posset, non immeritò gauderemus." His verbis cum aulici strictam interpretationem darent, et *beneficii* nomine *feudum* intelligerent, vehementer contra Papam, ejusque legatos, ac Rolandum maximè commoveri cæpit imperator; quem dein Papa in hunc modum placare studuit: "Occasione cujusdam verbi, quod est *beneficium*, tuus animus, sicut dicitur, est commotus, quod utique nedum tanti viri, sed nec cujuslibet minoris animus meritò commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est *beneficium*, apud quosdam in alia significatione quam ex impositione habeat, assumatur; tunc tamen in significatione accipiendum fuit, quam nos ipsi posuimus, et quam ex institutione sua noscitur retinere; hoc enim nomen ex *bono et facto* est editum: dicitur *beneficium* apud nos non *feudum*, sed *bonum factum* (1)." In celebri c. *de multa* 28 de præb. et dignit. de prohibita beneficiorum pluralitate additur in fine: "Circa sublimes tamen et litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari." Nescio an secundum stylum eorum temporum et ex mente concilii de a. 1216 hos favores, *sublimibus et litteratis personis* promissos, jure sibi arroget turba nobilium nostri ævi, quæ in devocandis Ecclesiæ redditibus nunquam dixit Sufficit.

Auctor "commonitorii ad civiles et publici juris consultos catholicos de rebus ecclesiasticis tractantes," aliam addit regulam criticam, quæ hujus est loci, in hanc sententiam: "Vetera documenta et gesta expendenda non sunt juxta moderna de republica excogitata systemata, sed ex instituto veterum." Atque his dein verbis commentatur: "Prætextu arrogati systematis jura quæsitæ aut supprimun-

(1) Radevicus, continuator Ottonis fris. l. 1; de gestis Friderici I, imp. c. 9, 10, 22.

tur, aut intra aretam fibulam coercentur. Pacta conventa relaxantur, fœdus civicum tollitur, et in arbitrium unius vel paucorum convertitur. Fit collisio capitum et membrorum reipublicæ; et securitas, cujus gratia civitates coaluere, in extremum discrimen adducitur, dum ad incognitas veteribus vias cuncta detorquentur. Qui enim ex recentioribus publicistis admodum numerosis suum cerebrum, non acceptis sed excogitatis ideis implere, vix aliud edisserunt, quod non vel ex harum dictatu profectum, vel ad illas reductum desiderant. Omnia metiuntur suis institutionibus politicis, antiqua movis, vetera confictis. Quando e re sua esse putant, universa bona subjiciunt *domino alto*, non contenti supremo in homines imperio; Ecclesiam verò juri majestatico in sacra. Si verò secus placuerit, spoliant veteres imperatores et reges absoluto et monarchico imperio, subjiciuntque præscriptis terminis et capitulationibus. Nunc libertatem ordinum in formanda republica, imò alicubi etiam jus gladii in caput reipublicæ statuunt: jam verò summam potestatem a Deo immediatè delapsam, proptereaque nullis ab homine limitibus circumscribendam pronuntiant; ut aded uterque mundus horum publicistarum arbitrio circumagatur (1).” In hunc sanè modum hodierni scriptores ad Jus majestaticum circa sacra, quod recenter procuderunt, detorquent ea quæ a Constantino M. rei christianæ studiosissimo, permittentibus facilè Episcopis, circa Ecclesiæ et religionis negotia aliquando acuitata sunt; aut quæ sancita fuerunt a Justiniano imp., qui ferè consensum Episcoporum penes se habebat et de rebus ecclesiasticis cum iis tractabat; aut ea denique, quæ sub imperatoribus francis per capitularia sunt constituta, eo scilicet tempore, quo Episcopi et abbates perindè sæcularibus negotiis, ac imperatores ejusque comites ecclesiasticis, mutua quadam utriusque potestatis consociatione intererant. Dein omnia a principe politico jure suo et invita ecclesiastica potestate geri, et constitui, ac sanciri posse affirmant.

De illo apocryphorum genere, quod in falsis inscriptionibus et velut suppositione alieni partus, situm est, dudum observarunt viri eruditi, falsarios ferè nomina virorum illustrium quorum celebris erat auctoritas, ceu Augustini, Ambrosii, Cypriani, etc., suis vel aliorum ignobilium scriptis præfixisse; non utique ut iis viris auctoritatem conciliarent ipsi, sed ut eam scriptis suis accesserent. Sic Cassiodorus l. 8 divinæ lectionum narrat, annotationes in epistolas S. Pauli, in quibus pelagiani erroris venena erant seminata, S. Gelasio papæ fuisse adscriptas; *quod solent facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis auctoritate defendere.*

Qui de arte critica et diplomatica scribunt, varias congerunt regulas, corruptionem aut suppositionem monumentorum deprehendendi. Spectanda imprimis est res ipsa, quæ in iis consignata est, et cum temporibus conferenda, ad quæ pertinet: dein forma præsertim diplomatum; testes alii contrarii, aut varii, aut consentientes; conjecturis etiam locus est, quæ ferè ex cognitione historica temporum, personarum, locorum et eventuum pendent. Argumento negativo, quod ex silentio aliorum auctorum sumitur, cautè utendum esse, dudum monuerunt viri doctissimi; cum præsertim plurima VV scripta temporum injuria, hominumque malitia interierint. Dionysius exiguus maximam se operam collocasse testatur, ut VV pontificum epistolas colligeret. Atqui plurimæ ipsius effugerunt solertiam; quæ ob ejus silentium injustè vocarentur in dubium. Quapropter pro recto usu argumenti negativi necesse est expendere omnia adjuncta rei ipsius, temporum, locorum, personarum. Si res ipsa magni momenti est, aut omninò ad statum publicum pertinens; si ignorata et prætermissa ab iis qui alia generis ejusdem diligen-

(1) Auctor cit. *commonitor. n. XLVII.*

tissimè collegerunt; si post medium ævum contingere debuit, quando monumenta tot periculis exposita non erant; tum profectò silentium coævorum, paucitas exemplarium vehementem falsi præsuppositionem facit (1).

§ VIII.

REGULE DE FIDE ADHIBENDA NARRATIONI ET SCRIPTIONI AUCTORUM.

Ars critica regulas suppeditat non modo pro exploranda monumentorum authentia rectaque interpretatione faciendâ, sed his jam præmonstratis de *fide* adhibenda narrationi, scriptionique auctorum. Fides enim historica cujusvis historiæ velut caput est, imò instar mentis et animæ; in quo genere, uti in testibus forensibus, sic in historicis veritas quæritur maximè, certaue veritatis depositio, in quem finem non sola depositio vel attestatio, sed persona testis circumspectè habetur præ oculis: quia *“quia testibus creditur, non testimoniis; nam alia est auctoritas testium, alia testimoniorum,* ut Rufino et Gabinio rescripsit Hadrianus imperator (l. 3, § 3 et 4, D. de testibus). Testimonia quidem, si in alia referantur monumenta, aliena auctoritate subsistunt: testis semper sua, etsi testetur de auditu (2).

Præcipuè in rem hanc regulæ ex consensu criticorum ab auctore commonitorii supra laudato statuuntur hæc:

Reg. I. “Scriptori, a tempore rerum gestarum nimium remoto, non est fides adhibenda, nisi alleget alios gestis satis propinquos, aut vetusta nec improbata fulciatur traditione, quæ in loco rei gestæ conservata sit.” Ex præscripto hujus regulæ ab omnibus jam eruditis etiam a catholicis exploditur fabula de Joanna papissa (3); concessio item privilegii, romanum pontificem eligendi, collati ab Hadriano P. I. in Carolum M. et a Leone VIII, in Ottonem M. (4).

Reg. II. “Scriptor fidem meretur tanto majorem, quo propior tempori et loco rei gestæ exstiterit, si nempe cætera sint paria.” Ob hanc veritatis ex vicinitate loci et temporis cognoscendæ opportunitatem stabilitum est forum contractus, itemque gestæ administrationis, quemadmodum tradunt DD. ad tit. de *foro competente*.

Reg. III. “Facta et acta publica ad memoriam posterorum transmissa majorem merentur fidem, quam gesta et narrata privatorum, nisi acta hæc publica corrupta fuisse, aut plenè constet, aut ex insignibus indicis conjiciatur.” Huc ergo, si de authentia constet, referenda sunt acta conciliaria, consularia, aliaque id genus judicialia, de quibus imp. Honorius et Theodosius aiunt: *Gesta, quæ sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem* (l. 6, c. de re judicata). Huc etiam pertinent historiæ gestorum coram insigni multitudine hominum, coram summo imperante, aula vel magistratu, si a consiliis, aut coævis, vel propinquis in tabulas vel commentarios relata sint.

Reg. IV. “Scriptori, quo majori auctoritate, probitate, judicio et industria præ-

(1) Exemplum præbent famosa concordata principum a Joanne Horix ex privato archivo eruta, orbique litterato ad concitandos contra apostolicam sedem Germanos obruta.

(2) De eo, quod maximè essenziale est in historia, de fide nempe historica eruditè politèque, ut semper, scripsit Anton. Josephus Weissenbach, canonicus ad Aquas duras opusculo germanice edito apud Tigurinos, an. 1789.

(3) Concil. edit. Mansi t. XV. col. 35, et seq. Ubi exhibentur notæ Severini Bini de illa fabula et Joannæ papissæ cenotaphium eversum demonstratione chronica ineluctabili a Phil. Labbe S. J.

(4) Gratian. c. 22 et 23, dist. 63, conf. Petri Galla de S. J. diss. in c. Hadrianus 22, dist. 63, in Thes. Jur. Eccl. t. I, n. V.

“valet, eo major est fides adhibenda: contra eo minor, quam magis in hisce defecerit.” Unde facile colliges, quanta fides adhibenda sit hominibus perditis, infamibus, apertis fidei hostibus, et schismaticis, contra Ecclesiam catholicam, ac sedem apostolicam, contra quam enormiter furunt omnes, testantibus factaque narrantibus; in quo genere de mendaciis et calumniis sæpissimè convicti jam sunt. Hoc in numero sunt Aventinus, Sarpinus, Scioppius, Voltairius, alique surfuris ejusdem, aut non multo quidem melioris. Qui ex istiusmodi fontibus notitias hauriunt rerum præteritarum, hi sanè ipsi decipi volunt, et laqueis implicari, quibus ipsi se expedire haud possunt; ut proinde universè verum non sit, quod inter sententias a Prospero collectas, n. 268, continetur: *Multos invenimus qui fallere velint: qui autem falli, neminem.* Puto ego, multos reperiri, qui falli reipsa velint, quando ex pravitate animi errare, abjectoque veritatis studio, cupiditatibus obsequi volupe est. Quis est enim, qui a doctoribus appellatur, error *culpabilis*; quæ *crassa* et *affectata ignorantia*, nisi voluntarius error, et voluntaria ignorantia? Aut rarus fortè reperitur hodie, qui *noluit intelligere ut benè ageret* (Psalm. XXXV)?

§ IX.

REGULÆ DE RECTO AUCTORUM HISTORICUM IN JURIS SACRI TRACTATIONE USU.

Ut res historica adminiculum præstet juri sacro, satis non est nosse regulas explorandi auctoritatem monumentorum, et fidem testium; sed ipsa *facta historica*, de quorum veritate dubium nullum est, rectè adhiberi ad confirmandos vel illustrandos canones, non infringendos, obscurandosve debent. Regulæ sunt hujusmodi.

1. “Si salvam velimus Jurisprudentiam sacram vel profanam, aut ejus partem quæcumque, distinguere inter jura et facta oportet.” Secus quævis attentata jure facti honestarentur, et perindè tyrannica facta imperantium, ac seditiosi motus subditorum forent argumenta jurium; qua de re et Justinianus imperator, et Innocentius P. III, ambo celebres jurium conditores, sapienter pronuntiarunt: “Non exemplis, sed legibus judicandum esse (L. 13, c. de sententiis et interlocutionibus);” et: “Non debemus attendere solummodo, quid factum sit, sed potiùs quid sit faciendum (c. 27, de elect.)” Multa nullo non tempore attentata sunt ex *malitia*, quæ nullo Juris adminiculo erant suffulta; multa ex *imperitia* sunt gesta, multa ex urgente *necessitate* extra ordinem; quæ hoc ipso, quod exorbitantia fuerint, “non sunt trahenda in consequentiam (c. 28, de reg. jur. in 6).”

2. “Simplex factum antiquum ab usu juris indè potissimum discernitur, quod iudicio publico fuerit demum improbatum.”

3. “Justitiam vel injustitiam facti colligere necesse est ex legibus illius fori, ad cujus cognitionem factum pertinet (1).” Sumitur hinc systema catholicum de vera potestate ac jurisdictione, in causis Ecclesiæ et religionis a Deo concessa apostolis, eorumque successoribus, uti proposistum fuit in his prolegomenis. c. I, art. IV. §§ II et III.

4. “Jura, mores et disciplinam veteris Ecclesiæ, seu reipublicæ sine discrimine et pro arbitrio applicare hodiernæ, aut pro libitu reducere velle perquam vitiosum est:” quia pro temporum ratione ac necessitate aliæ atque aliæ leges sacræ et profanæ constituendæ sunt.

(1) Has regulas elegantibus exemplis et commentariis illustrat auctor commonitorii ad civiles et publ. juris consultos catholicos n. XXV, XXVI, et seq.; item n. LXXXVIII.

§ X.

DE ARTIS CRITICÆ ABUSU.

Concludendus est hic locus, atque adeo libellus totus, admonendo lectores, et per fidem atque amorem Domini nostri Jesu Christi obtestando, ne artis criticæ fucata specie et inani gloria seduci se et illaqueari sinant ab impudentissima turba scriptorum ætatis nostræ, qui, uti contra externa religionis opera et Ecclesiæ causas politicorum magistratum auctoritatem incitare atque armare conantur, et contra doctrinam Ecclesiæ, piaque fidelium sensa argutias humanæ rationis opponunt, ita affectato critices studio quosvis juris ecclesiastici fontes turbare nituntur, certissimaque principia convellere, dubiave reddere aut obscura. Nam:

1. Ut *traditionibus* detrahant divinis et ecclesiasticis, venerandæ antiquitatis monumenta omnia in dubium vocare et tanquam apocrypha explodere student, uti animadversum est supra, § V in finem. “Hetærodoxos, ait Fleurius in præf. § XVI, “ad extrema nimie criticæ ita delapsos fuisse, ut nihil penitus certi, sed omnia dubia esse voluerit.” Addit: “Sed et nonnullos catholicorum malesana ambitio quæ cæteris doctores et sagaciores haberi cupiebant, in idem extremum pertraxit. “Sunt, qui nullum miraculum, nullam revelationem credere audent, ne simplicium numero accenseantur.”

2. Ut *Scripturas divinas* pervertant, atque ad suos trahant errores, artis criticæ, et linguarum orientalium peritiæ esse aiunt, neglecta scilicet Ecclesiæ auctoritate, *sistere genuinos textus cum propria vocabulorum significatione*, uti auctor principiorum jur. publ. eccl. catholicorum docet, c. XVI, § XVII. Idem c. I, § II, jam docuerat: Utriusque Testamenti libros integros cum omnibus suis partibus acceptari jubet synodus tridentina, sess. 4, *quomodo vero hæc verba sint intelligenda, non est satis expeditum.*

3. Ut *decreta sedis apostolica* in confingendis præsertim thesibus explodant, eum eodem auctore, c. V, § XIII, de Romano Pontifice ita statuunt: “In judiciis publicis, quæ videlicet redundant in totam Ecclesiam, vel insignem ejus partem, an sit infallibilis, nondum est expeditum.” Dein, § XII, ib. de propositionum damnatione: “Cum papa, iniquis theologorum rixis obviat, propositiones approbat, tolerat vel proscrit, magni interest, num papa ipsemet sit vir doctus, expertus, a præcipitantia alienus; num illi, qui damnationem, vel definitionem dogmatis alicujus urgent, suadentve, revera polleant zelo secundum prudentiam?” Refert quoque, “an unus solus dogma ediderit, et hoc bona vel mala fide, an verò integræ scholæ vel nationes eidem adhæreant?” Ib. § XX, fatentur, studium damnatum thesium quàm maximè decere publicistam catholicum, sed “magnis indigere subsidiis: nam ex historia litteraria sciri debet auctor damnatæ, ejusque genuinæ hypotesis; auctoris adversarii ac delatores, nec non processus sacri officii.” Quis non videt, hoc modo omnia devolvi ad instabiles incertasque opinioniones et conjecturas criticorum, atque ad ejusmodi inquisitionem rerum, de quibus certitudo haberi vix ulla potest, cum auctores damnati omnia eludere et ecclesiasticos judices iniquitatis accusare soleant, uti pars litigans, quæ in iudicio succubuit?

4. *Conciliorum auctoritatem*, quàm abjudicata RR. Pontificibus infallibilitate, totam deserunt, consensum item Episcoporum extra concilium, his modis infringere silent. *Conciliorum legitimitas subjacet examini*; hoc ipso, quod non omnes synodi int probæ, sed dari ex ipsis possint reprobatæ, nulla natio tenetur

amplecti concilium, nisi *persuasum habeat* illud nullo vitio laborare; concilii enim elogium non est absolutè infallibile. Sed tantùm "conditionale, si nimirum patres legitimè convocati ita in eo se gesserint, ut dici possint repræsentasse totam Ecclesiam." Hoc postremum æstimabunt periti "ex integritate patrum qui concilio interfuerunt; ex historia colloquiorum et actis sessionum, ex comparatione concilii recentioris cum primis quatuor œcumenicis, ex approbatione Summi Pontificis, nec non acceptatione Ecclesiæ universalis." Sic præscribit cit. auctor princip. c. VI, § XXXIX. Ita nempè patres vitæ morumque testimonium præferre antè debent, quàm definita in conciliis, aut sancita recipiantur; et partes litigantes aut subditi non tenebuntur acquiescere sententiæ aut legi latæ, nisi sciant quid præviè in dicasterio principis tractatum et disputatum sit? Idem auctor, c. XVI, ubi de critica agit, ad § III, hæc verba annotat: "Vis sententiam tuam probare ex Tridentino; et nescis historiam deliberationum, disputationum, et sessionum desuper habitaram? Quid fiet? Docebis, quod tumetibi ex ratione cerebrina imaginaberis, non quod patres reipsa senserunt. Trades multa pro definitis quæ definita non sunt. Paucis divinator eris, non theologus aut canonista." Sed de acceptatione et consensu ecclesiarum, a quo vis omnis et ultimata auctoritas non pontificiarum tantùm, verum synodali quoque definitionum secundum novos criticos pendet, videant, obsecro, lectores veri amantes, quomodò disserat auctor princip. c. IV, § IX. "Certò constare debet de consensu universali Ecclesiæ. Nam quæstio facti est, an omnes in dogmate vel ritu concordent? Hoc opus hic labor est. Ecclesia est persona ficta et moralis, conflata ex innumeris penè individuis. Quis hominum deprehendet sensum tantæ multitudinis? Et quorumnam indagabitur consensus? An eorum qui de jure sunt controversiarum iudices? Hi externo regimini intenti rarò curant theologiam. An doctorum et professorum? at hos quis constituit iudices? Scholasticorum testimonia ac censure (quandoque præcipientes) non satisfaciunt semper. Quis eorum legit omnes libros, ut constanter asseverare queat dissentire neminem? Et legerit omnes libros, an soli illi orthodoxi qui libros edunt? Quot eruditi abstinent sermone? Quanta cohors velata mente, juravit in prædefinitum magistrum? Itaque pro nihilo videntur esse hanc in rem privatorum libri."

5. Ut *SS. Patrum elevent auctoritatem*, sic rem agunt; primò quidem theologos ac scholasticos haud magni faciendos putant multis ex causis, quemadmodum supra est indicatum; dein de patribus aiunt: "Intuere illos tanquam theologis sui sæculi; plus enim non fuerunt. Jam verò consensus theologorum non efficit illud jus publicum, nisi accedat altior potestas." Ita auctor princip. c. XI, § IX.

Ex his quidem satis intelligi opinor quibus viis et dolis utantur homines maligni, ut omnia religionis et juris sacri principia obtentu artis criticæ ad captivulas rationis suæ revocent; ac primo quidem res perspicuas obscurare, certas verò conculcare ac dubias facere doceant, ut incauti lectores principio dubitare dicant de omnibus, postmodum accedente cupiditatum æsto, studiorumque pravitate, generali se involvant scepticismo ac demum religionem exuant penitè. "Fuiestus hic laqueus est, quem Satan moderno sæculo posuit, omnia ad critici phibosphi rationem revocare (1)."

(1) Ita doctè non minùs, quàm verè animadvertit illustr. ep. cameracensis in documento pastor. 2, de infallibilitate Eccl. c. 5, § 6, conf. animadversiones editas a P. F. Gattier S. J. contra auctorem princip. J. P. E., c. VIII, art. 3.

ARTICULUS VIII.

DE STATUTIS EPISCOPORUM ET ALIORUMVE PRÆLATORUM.

Postquam generaliores res ad Juris sacri fontes attinentes exposuimus, nonnulla dicere nostrum erit circa statuta firma et permanentia Episcoporum, quæ meritò enumerantur inter Juris canonici fontes apud omnes jureconsultos. Frustrà enim res et judicia benè tractare conaretur quicumque, quam maximè peritus omnium quæ ad universam Ecclesiam pertinent, prorsùs ignarus vel saltem parùm eruditus suæ dioceseos privatorum statutorum ad gravia in illa emergentia pertractanda ac definienda aggræderetur. Ea de re, cæteris jam evolutis quæ velut fontium omnium primordia reputantur, ad ea transeamus quæ ad unamquamque particularem ecclesiam spectare videtur. Et hæc quidem litteraliter exponemus, prout a D. Lequeux dilucidata reperimus in suo laudatum "Manuale compendium Juris ecclesiastici" (1).

§ I.

QUESTIO PRIMA.

Quæres utrum possint leges ecclesiasticas non solum Episcopi, sed etiam alii prælati seu superiores decernere?

R. "Ecclesiæ catholicæ firmissimum dogma est, ait Benedict. XIV, de Synodo, libr. XIII. c. 1, episcopos esse superiores presbyteris, non solum ordinis potestate, sed etiam jurisdictionis. Porrò ex eo sequitur necessariò posse ab illis leges fieri, quibus presbyteri, etiam inviti et reluctantes, cogantur obtemperare. Ut enim optimè aiebat Gerson, potestas ecclesiasticæ jurisdictionis in foro exteriori est potestas coercitiva, quæ valet exerceri in alterum, etiam invitum, ad dirigendos subditos." Et verò Episcoporum statutis, et libris liturgicis quibus iidem ritus sacros ordinant, constat ferè in integrum jus canonicum unicuique diocesi proprium.

De Jure quidem divino, ut jam notavimus, non alii in Ecclesia condere possunt leges propriè dictas, quam Summus Pontifex pro universa Ecclesia, et Episcopi singuli pro sua diocesi. Verum Ecclesiæ concessione factum est, ut existant superiores alii, qui jurisdictionem ecclesiasticam exercent, ut sint diversi generis collegia, societates, religiones proprium regimen habentes. Ergo quæritur quoniam sint illi superiores legislativam potestatem habentes? Dicemus breviter de Legatis Summi Pontificis; de Cardinalium collegio, Sancta Sede vacante; de Archiepiscopis; de Vicariis Episcopi; de Capitulo cathedrali, quatenus Sede vacante per Vicarios diocesim gubernat; de Prælatibus Religionum; de Capitulis aliisque Collegiis quæ corpus morale efficiunt.

I. Legatis Summi Pontificis Jus canonicum concedit leges stables decernere in provincia vel in regno ad quod mittuntur. Repræsentant enim potestatem legislativam Summi Pontificis, eorumque jurisdictio habetur in Jure canonico ut ordinaria et plus quam episcopalis. Certum est vim legis apud nos obtinere decreta, quæ anno 1802 de rebus gravissimis tulit Cardinalis legatus Caprara.

(1) Enumeratio ordinis articulo primo hujus capituli præmissa tertio pertractandam, ipsius articuli materiam ostendit; sed nos argumentis prædictis ordinem reformabimus ut priùs generaliora, et posterius particularia docerentur.